



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Balthassaris Alvarez, Societatis Iesv Religiosi

Puente, Luis de la

Coloniae Agrippinae, 1616

Cap. XXIII. Præclarè geßit Rectoris munus Metinæ, & in alijs Collegijs; & insignes eius ad gubernandum dotes

urn:nbn:de:hbz:466:1-43347

CAPVT XXIII.

*PRAECLARE GESSIT PECTO-
ris munus Metinae, & in alijs Collegijs
insignes eius ad gubernan-
dum dotes.*



VAMVIS P. Balthassar Al-
lense Collegium per annos
quot cum titulo Ministri, et
Vice-Rectoris gubernasset. Me-
tinae tamen primùm id munus
ris cum titulo Rectoris egit, et
postea in alijs etiam Collegijs
ostendens vbiq̃ue insigne ad gubernandum talen-
tum. Quod vt tutius obiret, studuit altas in huma-
nitate radices iacere: ex qua oriebatur ei in
magna repugnancia, & horror talia munia ob-
eundi, non ignaro seueræ rationis ab ijs, qui pre-
sunt, exigendæ; & quod benè perpenderit
superiorum: de quibus aiebat, quòd minime
nium deberent suis corporibus indulgere; sed
alijs in omnibus peius tractare. quo ad animam
verò debere semper esse dolentes, moerentes, et
liquorum omnium curis plenos: quod si Officio
suo benè, vt oportet, fungantur, referent à multis
ex subditis murmura, & auersiones: quo ad Deum
verò portare debent defectus, & imperfectiones
subditorum, eorum ignauiam, defectionem, &
omnia eorum peccata: ita vt non solum onus por-
tent, si illi peccet; sed etiam si in virtute non pro-
ficiat.

ficiant. ex hac cogitatione, cum ipse esset alius valde zelosus; suæque perfectionis studiosus; optaretque, reliquos esse perfectos: coepit officium illud in initio cum aliqua seueritate; & affligebatur valde ex defectibus eorum, qui sibi essent commissi; quemadmodum euenire solet superioribus parum expertis: sed postea tamen maiori cælesti lumine accepto, aduertit hanc esse potius impatiētiam suam, & cordis angustiam: deoque oportere illud laxare, & assuescere, sustinere aliorum defectus; eisque compati potius, quam indignari: vt sic Dei gubernationem, quantum fas esset, æmularetur, & in eum finem annotauerat sibi quiddam notatu dignum: quod à Patre Martino Gutierrez, quadam die audiuerat; cum suæ conscientie rationem ei redderet: qui etiam, cum esset Rector, affligebatur valde ob aliquos suorum defectus. & cum die quadam in Oratione de hoc suo labore lamentaretur, ostensus est illi orbis argenteus, in quo corculum erat exiguum valde, & quasi duabus sanguinis guttis submersum, & suffocatum: dictumque illi est; hoc est cor tuum, quod in parua aqua submergitur: & mox magnum alium cor, valde latum illi fuit ostensum, dictumque: hoc est cor Dei, quod tot idololatris, hæresibus, ac sceleribus alijs, quæ sunt in mundo non affligitur; sed longanimitate magna oportunitatem expectat, copiosum fructum ab eis colligendi, qui nunc sunt improbi: tale autem esse debet tuum. Ex qua Visione valde mutatus fuit, & ex suis angustijs emerfit: quem etiam Dominus noster consolatus est, reuelans

R illi,

illi, omnes eos, quorum tunc curam habebat, prædestinatos. Huius ergo boni sui amici exemplo didicit Pater Balthassar, cor suum dilatare, cui etiam in Oratione Deus fecit eandem gratiam: (vt in Relatione sua superius posita ipse nuntiat) tantum ei subsidium & leuamen in gubernatione tribuens, vt non sicut prius nimia cura ipsum raptarent, nec eius cor angustarent. Addebat item ei magnam officij huius opinionem & æstimationem, immisso sensu quodam interno in

2. Post Pascha. A N N O. 1575. April. 17. *æstimationem, immisso sensu quodam interno in Domina boni Pastoris & eius ouium: qui fuit huiusmodi. magnus hic est grex, eiusque magna forma: Pastor bonus facit oues bonas: Quare magnum est beneficium, magnaque gratia illis fit: quæ talis illi Deus dederit. Quando populus Dei bonum habet caput, Regem, aut Prophetam: semper fuit bonus. Magnū onus imponit sibi Pastores: quia verè sunt scopus, in quem omnes illorum oues oculos suos*

Gen. 39. 39. *coniiciunt, & in eorundem mores transformantur, sicut illæ Jacob in virgarum colorem. Hoc spiritu studebat P. Balthassar exemplar esse perfectionis toti gregi suo: adeoque exactè officij sui regulas & obligationes expleuit, vt liceat de eodiscere, quod fuerit talis superior, qualem P. notter S. Ignatius in suis constitutionibus depinxit: & quamuis id satis appareat ex ijs, quæ superius diximus de Nouitiorum gubernatione: nunc tamen alia quædam addemus, quæ ad omnium gubernationem vniuersim pertinent: ex quibus non Prælati Religionum modò, sed Christiani etiam Domini, ac patres familias discere possunt, domos suas gubernandi rationem.*

§. I.

PRIMUM suis Orationibus Collegium totum sustentabat, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus: res singulas prout quæq; erat, perpendens & æstimans: virtutem, Sanctitatem ac Religionem reliquis præferens; subditos in virtute eminentes pluris faciebat, quàm doctos & nobiles magna habentes talenta, non tamen tantam virtutem. Et cum aliquem deprehendebat non quidem Eruditum, sed probitatis, & spiritus singularis, dies noctesque cum eo quodammodo consumebat, ut eum ad profectum, & progressum iuaret, ut inferiùs apparebit. Hinc oriebatur, ut vel modicum spirituale bonum pluris faceret, quàm quiduis temporale: idèd non patiebatur, ut quis rerum temporalium procurandarum causa, aliquid amitteret, aut vel punctum imminueret exercitiorum spiritualium. Cum esset egeni cuiusdam Collegij Rector, habebat Ministrum valde sollicitum, qui anxius ad ipsum currebat, significans, quæ deessent, & necesse esset statim prospicere. Vir Sanctus respondebat, quàm anxius venit P. Minister: communicasti ne id cum Domino Deo nostro? respondebat ille, adhuc non habui tempus orandi: & tunc cum magna tranquillitate dimisit illum, dicens: hoc debuit esse primum. eas ad cubiculum, & ora; & offeras tuam orationem, & postea reuertaris huc. Cogitas gregem hunc non habere Dominum? Dominum autem talem habet, cui non tam parui constitit, ut perire permittat. eas in pace,

R 2 & co-

& cogita, hoc non à tua industria pendere. Dissimulabat P. Minister, vt faceret, quod Pater praeferebat: & saepe, quando reuertebatur, inueniebat prospectum iam esse necessitati permodica, iudicio suo prodigiosa: id promerente fidelitate, & fiducia sui Rectoris in Deum, vt capitulum 16. est dictum.

HINC etiam proueniebat, vt quoniam exprobariebatur valde expedire, liberaliter dare subditis quæ erant corporalia, vt liberiùs illi spiritualibus attenderent, ideò liberalis valde, & sollicitus erat, vt omnibus daretur, quod ad cibum, & vestitum erat necessarium. Quin ob rem ipsemet singulis mensibus, cum vestitum custode singula cubicula visitabat; & quærebatur, quid cuique deesset, vt ei prospiceret: id curabat scripto notari; & ratione postea exigebat, vt esset executioni mandatum. In Refectorio etiam curabat, vt toti communitati sufficiens cibus daretur: eorù verò, qui mortificationis causa se ipsos negligebant, maiorem ipse gerebat curam; & rectorum valde commiserabatur, eisque indulgebatur, attendens diligenter, ne quid eis deesset; & promodica re, quam illis deesse aduerterat, gratanter eum reprehendebat, cui erat eius cura commissa: frequenter valde eos inuisebat, & cum aliquis esset in periculo constitutus, etiam noctu illum, cum alij dormirent, visitabat.

IN rebus omnibus toti communitati communibus Primus erat; in Oratione, in Examinibus, eundo ad mensam, discedendo ex recreatione, in purganda domo, & in similibus occupationibus, ad quas omnes accedunt. Et quoniam mos est in Societate,

cietate, vt singuli designatum habeant diem lauā-
di, aut tergendī in culina: ille primo die mensis id
semper faciebat, etiam si reliquorum ordo non es-
set expletus: quo exemplo alios impellebat, ne vl-
lo modo huiusmodi occupationibus deessent,
valde semper probauit, & laudauit sequi ipsam
communitatē, dicens, id valde placere Deo, suam-
que benedictionē ei in his actionib. impertiuisse.

CUM quis facultatē petebat ad Extraordina-
riam aliquā poenitentiam faciendā, id ipse iniun-
gebat, vt in omnibus studeret conformare se com-
munitati, non quærens exemptiones aut priuile-
gia aliqua singularia; & vt studeret in hoc ipso
cum spiritu præstando excellere. Hoc verò sin-
gulare donū à Deo D. N. petebat, vt gratiā ipsi lar-
giretur, eamque corporis sanitatem, quæ sufficeret
ad præstādum, quod omnes in communitate præ-
starent: & benignissimus Dominus petatum donū
concessit: nam, licet sæpe esset valetudinarius, dis-
simulabat tamen imbecillitatē illam, vt cōmuni-
bus actionib. non deesset: experiebatur nimirū, ta-
les à Deo adiuuari, & in spiritu proficere; tēpusque
habere sufficiens, tū ad spiritualia exercitia, tum ad
alia munia benè præstanda. Addebatque: præstare
paulò minus etiam cum aliqua sanitatis debili-
tate viuere, & sequi cōmunitatem; quàm diutiùs
viuere, aut integra vti valetudine. cū aliquib. sin-
gularitatibus, quæ alios offendūt, & molestè illas
ferunt. Cū semel P. Franciscus Riberius, cuius
postea faciemus mentionem, facultatem peteret
emanendi vsque ad secundam mensam, eò quòd
indigeret illo tempore pro studio ad quasdam di-
sputationes, quibus ipse præesse debebat: respōdit

R. 3. illi

illi P. Balthassar: pluris esse faciendum cum omnibus ad mensam accedere: nam sic etiam in studio plus ipsum posse proficere. Paruit bene subditus, & ex foelici disputationis euentu maduertit, quã recte bonus P. Rector cõsuluit.

I T A semper constitutus ac dispositus erat, ut opus nõ esset tempus, aut occasione cum illo agendi captare: exterior vultus cum sancta quadã gravitate suavis erat, & humanus, ita vt amabilem & venerabilem se exhiberet, & omnes filialem erga reuerentiã cum amore coniungerent. Et licet interdũ speciẽ indueret seueritatis, vt subditos corripceret: mox tamẽ ad pristinã, & familiarem suauitatem redibat: ex altera etiam parte studebat suum in loco publico, & coram sæcularibus honoratè honorificè de eis loquens, & cũ eo respectu agens cum eis, quem singulorũ gradus poscebat. Contemplabatur subditorum suorum vultus, non sine aliquẽ diu esse tristẽ, aut capite demisso incedere, dicens: in domo Dei neminẽ tristẽ incedere debere, sed lætũ: & potius excessum in lætitia dissimulabat, quàm in tristitia. compatiebatur ijs, qui vel ex debilitate in aliquem defectũ laberentur, aut durioris essent ingenij, quibus sæpius blandiebatur, vt tales defectus repararet. Ideoq; interdum quos tales nouerat, petebat à Prouinciali ad suum Collegium mitti; vt blanda sua directione eos reificaret, ac lucraretur. Et hac ratione multos emolliuit, magnaq; charitate, ac dexteritate in alios permutauit: eius enim verba etiam feras videbantur emollire, ac cicures reddere.

CONSTANTISSIMVS erat in seruandis exacte, quæcũq; ipsius officium postulabat, etiã minutissimè.

nutissima, neq; deponerat eius curā & sollicitudinem vsq; ad diem & horam vltimā, quo illud perficiebat: vt ex hac reparua constabit, quæ indicium est eius curę, quam de rebus grauiorib. gerebat. Ad obseruationē regulæ Rectoris de visitadis interdū existentibus in oratione designauit sibi Feriā sextam, nec vllā prætermisit, etiamsi plures occupationes haberet; aut nocte præcedente graui aliqua molestia fuisset affectus. Idq; adeo constanter seruauit, vt ipsa FERIA sexta, qua discessit Villa-Gartia, vt esset Prouincialis Toletanus, discessur^o proximè post Orationē, visitauit tamē pro more omnia cubicula; nā probus superior nō debet eo prætextu, quod breui officium suum exspirabit, aliquid de sua cura remittere, sed vltimo adhuc die æquè exactè, se gerere, atque cum cœpit primò.

S. II.

PRÆDICTA omnia, & multò adhuc plura animaduertere licebit, in quadā sūma, quā sibi fecit, rerū necessariarum, vt quis bonus esset Superior: quę omnium eorū, qui illū nouim^o, iudicio, est exēplar quoddā, & viua imago eorū, quæ ipsemet faciebat: estq; plus aliquid se ipsū ita depingere; quā alios, vt tales sint, docere. ita igitur loquitur: *Primū* Superioris munus est seruire animabus, pro quibus Christus mortuus est. & quidē seruire tanquā seruus suis Dominis propter Christū: & in eo modico, quod propter Deū fieri potest, magnę felicitati suę tribuat, quæ illi non attendat, quid ipsorum gratia Superior faciat; neque vt gratias ipsi agāt propter talia obsequia: vt eò putiora ipse Dominus acceptet, quò illa erunt minus notata, minoresq; gratiæ ab hominib. habitę.

R. 4 Quare

Quare primùm ante oculos suos constituat, quod fieri ipsum Superiorem, non sit fieri Dominum, neque tradi ipsi homines, quibus imperet; Sed sibi Patri Pedagogum Principum, & verè seruum filiorum Dei, quorù curã gerat, eisq; seruiat, ac hoc caput suũ collocet. Sic enim Dominus ille gubernaui, qui dixit, *a non veni ministrari, sed ministrare.* Et Ecclesiasticus monet: *b Rectore te posuerunt, noli extolli: esto in illis, quasi vnus ex ipsis.*

a Math. 20. 28

b Eccl. 32. 1.

DEINDE det operam, vt talem subditi de ipsius opinionem concipiant, vt magna sua consolatione, ac fiducia se possint illi aperire; & intelligant, se in nulla re magis ipsi placere posse, quam si ad ipsum recurrant, pectusque suum totum aperiant, quantumcunq; debiles ipsi sint: nec propterea quidquam se apud Superiorem amissurum, cum non sit æquum, quod vnde sibi cælum aperitur, melioremq; inducit in Dei oculis speciem, & figuram, non etiam, eadem in eius ministri pectore & opinione remaneat. Agat sæpe cum eisdem hoc argumento, quod est vtilissimum; monet Confessarios, & Concionatores: mille enim animæ pereunt, eò quòd non habeant animum, ad interiorius vlcus Superiori suo aperiendum.

TERTIO, illud etiam sibi ob oculos ponat, vt in humilitate cõseruetur: quòd Collegium vult esse sit cõpositũ, & iuxta leges nostras benè gubernetur: nõ tã esse industriæ suæ effectũ, quã ipsius Dei D. N. opus enim adeò excellens, quale est, quòd tot homines benè subiecti sint, seq; ad terrã proiecti, nõ hominũ est, sed eius Domini, de quo Dauid ait: *ipsa Domino speraui, qui subdit populũ meũ sub manu sua.* Qui velit cedros ad terrã dei iicere, ferreis brachijs

c Psal. 143. 2.

opus habet: & hæc dat ipsemet Deus, adeoq; fortia reddit d *sicut arcum aureum*. Quare qui melius *d Psal. 17. 35.* nouerit causam suam apud hunc Dominum agere, fueritq; illi familiarior; peritior erit lignator & operarius; etiamsi sit alioqui balbutiens, Deiq; consilia euanescent ab oculis hominum, non valentium illa assequi.

QUARTO, aggrediatur officium alliciens ad se omnium, qui sunt in Collegio, voluntates, signa edens solatijs sui, quod inter illos maneat: caueat tamen diligenter, ne qua particularis affectio in ipso notetur, in quam totum impingat Collegium, auspicetur etiam munus dissimulans imperium, & ordinationem per dies aliquot, ne displiceat hoc apprehendentibus, quod incipiat imperando tanquam Iudex aliquis aulicus: nunquam superbè, & imperiosè aliquid constituat; sed humiliter, & mansuetè, quasi per modum Consultationis: exempli causa, dicat, attende an hoc hac ratione benè fiat: hic enim quasi Consultationis modus, efficacior est ad persuadendum, quod velis, & sedandos animos perturbatos.

QUINTO, frequenter eos priuatim alloquatur; & interdum visitet in proprijs cubiculis; & quando illi ad ipsius accesserint, vt loquantur, iubeat intrare, etiam cum est occupatus: vt ipsi met aduertant, quod non possit illos audire; & cum *Ex sancto* dimiserit, bonis etiam & suauibus verbis vtatur; *Basilio.* dum autem illi loquantur, ne ipse, scribendo aut aliud quid faciendo, occupetur: ne videatur illos parui facere.

SEXTO, deponat eas cogitationes, & consilia quæ impedire ipsum possunt, ab Officio suo rectè

præstando, & ab attendendo suis domesticis: pendat tempus in sua gubernatione; & hoc continuum eius studium: exactè & actu illum exercere. Nam omnium deuotionum ac meditationum sui & totius Collegij profectus, hoc erit maxime substantiale. Quamobrem ne sæcularium negotijs multum implicetur: plus enim populo proderit, si Religiosa ac perfecta subiecta dederit, quàm si ipse illorum negotijs se implicauerit.

S E P T I M O, det operam, vt in rebus omnibus ipse sit primus, vt sic maiorem eius verba viua habeant; & subditi, cum in aliquo deficient, non habeant, quò se excusent. Ita enim faciens, explebit boni Euangelici Pastoris numeros: de quo dicitur, *e quod cum proprias oves miserit, ante eas vadit.* Aduertat etiam diligenter: ex propria ipsius reformatione, Inferiorum reformationem dependere: qui ipsam Regularum obseruationem à Superiore tanquam viua regula accipiunt: qui se secum in multis dispensent, in tali obseruatione, eò quòd pluribus rebus sit intentus, non habent vim eius exhortationes & verba; quia non facit, quò dicit.

O C T A V O, Boni consulat, quidquid à quocumque ipsi dicitur; vultu ipso & verbis gratum animo ostendendo: nam vel hoc solo, qui sunt exulcerati, conuiescent; & ipse poterit in multis iuuari: & hoc ipsum sufficiet, vt ab omnibus ametur.

N O N O, seruet animi rectitudinem, & integritatem, ne alij insolescant, & fiant arrogantes.

1 Ioan. 10. 4

Sed exhibeat simul viscera charitatis, vt cum re-
 ctitudine suauitatem coniungat; sitque sicut il-
 le Dominus, quem Dauid *f. dulcem & rectum* *f. Psal. 24. 8.*
 appellat: quamuis interdum, ne pax communis
 perturbetur, expedit cedere, ac dissimulare,
 quando subditus non vult prestare, quod debet;
 agendo cum illo, cum Spiritu amoris: & paci-
 enter sustinendo, quem DEVS sustinet: donec
 ipse dignetur illum visitare, & capacem reddere
 mediorum sui profectus, quæ illi proponuntur.
 Sed non negligat tamen omnia, quæ potest me-
 dia adhibere, quibus possit illum lucrari.

DECIMO in nullo casu, etiam vbi iustissima
 appareat causa, aliquem reprehendat iratus, do-
 nec se ipsum prius quietum reddat; & pacatum:
 sic enim licebit postea fratrem suum pacare: &
 facilius eum lucrabitur, si tolleret: quia ipsemet
 tandem agnosceret, suamque obstinationem im-
 probabit, seseque subiciet, & ad pedes prosternet.
 Ratio autem cur non sit reprehensio adhibenda,
 cum Superior est turbatus, ea est, quia Dei omnia
 mandata diriguntur ad charitatem, & cordis pu-
 ritatem; cuius vtriusque sit iactura, si permittat se
 ab indignatione, & auersione ferri. Nec in defe-
 ctibus subditorum valde indignetur, nec suum of-
 fendat defectum & turbationem. In paruis rebus
 non sit valde seuerus, quasi ipse valde esset Iustus;
 nec frequens sit in reprehendendo: sic enim gu-
 bernatio redditur grauis ac dura; & ex frequen-
 tatione vilescit, nec sentitur dum adhibetur.

VNDECIMO, cum subditus ex animi perturba-
 tione resistit, contineat se ipse Superior, memor quod
 ille ipse sit frater, membrum Christi, & imago Dei;
 & quod

& quòd sit à Dæmone irritatus, quare si ipse superior non sciat illum in illa occasione ferre, non potest, ut anima illa omninò pereat, propter Christum D. N. mortuus est. Utatur igitur in illa occasione, benignitate, & misericordia, cogitans se quoq; huiusmodi imbecillitati esse subiectum, gratiasq; Deo agat, quod ipsi dederit auctoritatem condonandi peccata: & hac ratione Deus ipsi grauiores defectus condonabit. Sit enim mor illius Apostoli sententiæ, dicentis: *g* *Rom. 12. 21* *vinci à malo, sed vince in bono malum.* Quare tunc met tunc ad Deum, petens, ut vtrumque dignè componere, & placare.

DVODECIMO, moderata cum subditis cumspectio, bona est; sed nimia, est noxia: cõtrahit enim illos, & cruciat: cõtrà verò fiducia de illos obligat, ut & ipsi confidenter agant. Ostendat, se bonam de illis habere opinionem, suo tempore etiam dicat, se res eorum probare. Et sic gubernabit eos suauiter. Hæc & similia alia documenta præbebat Superioribus ex propria experientiæ libro deducta, & ex interioris animi sensibus, quos à Deo in Oratione acceperat, ad hoc munus, ut oportet, præstandum.

